

## Band III., Nr. 816, Seite 311

*König Heinrich (VII.) verspricht, die seinem Vater und ihm übertragene Vogtei über das Kloster Odenheim und dessen Güter, insbesondere über vier genannte Höfe, niemals zu veräußern.*

Wimpfen, 1232. September 9.

Henricus septimus, divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Cum propter defensionis et pacis tranquillitatem ad nos et imperium subterfugere consueverint viri religiosi, tenemur eorum indempnitatibus providere, ac eorum bona et defensiones eorundem nostris retinentes usibus regio sub patrocínio confovere. Noverint igitur tam presens etas quam successura posteritas, quod cum claustrum de Otenheim serenissimum dominum imperatorem patrem nostrum et nos in speciales elegerit advocatos et defensores, idem dominus imperator et nos promisimus eisdem prestita fide et regali sanctione confirmavimus, quod nunquam advocatia predicte ecclesie seu aliquorum bonorum eius a nostra et imperii potestate et dominio alienetur. Nunc vero de mandato et petitione serenissimi domini imperatoris, eandem eis promissionem et laudamentum factum denuo duximus innovandum; promittentes eidem claustro, abbati quoque et conventui eiusdem ut, quemadmodum est predictum, nunquam ipsam advocatiam ecclesie memorate sive bonorum ipsius et nominatim advocatias curiarum ecclesie videlicet Gartach, Westheim, Rethenheim et Hancoshusen<sup>a1</sup> a nobis et imperio venditionis, infeudationis vel obligationis titulo alienare possimus vel debeamus aut etiam alicui elargiri, non<sup>b</sup> in concambio pro possessionibus aliis transmutare. Mandamus igitur et sub interminatione gratie nostre firmissime precipimus, ut nulla unquam persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, contra prelibatum laudamentum et promissionem nostram venire audeat aut alicuius ingenii scrupulo immutare. Quod qui facere presumpserit, indignationem tremendi iudicis nostreque celsitudinis gravissimam offensam indubitanter se noverit incursum.<br><br> Actum apud Wimpinam, anno dominice incarnationis M<sup>mo</sup>. CC<sup>mo</sup>. XXXII<sup>o</sup>., quinto idus Septembris, indictione sexta.

---

Nach dem Kopialbuch des Stifts Odenheim aus der zweiten Hälfte des 18. Jahrhunderts auf Papier, fol. 23, im GLA Karlsruhe.

<sup>a</sup>So liest unrichtig das Kopialbuch. Es ist *Nancos-*, *Nantos-* oder *Nanteshusen* zu lesen. Die ältere Form des Wortes ist *Nanthoheshusen*.

<sup>b</sup>Lies: *nec*.

<sup>1</sup>Landshausen.

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

GLA Karlsruhe

**Signatur/Titel des Originals:**

67/754 S. 23

**Editionen:**Huillard-Bréholles: *Historia diplomatica*, Bd. 4,2, S. 583.**Regesten:**

Regesta Imperii Abt. 5, Bd. 1,2, S. 771, Nr. 4249.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Wimpfen

**Aussteller:**

Heinrich (VII.); König

**Ortsindex:**

Großgartach Wohnplatz (2040) <br> Großgartach, Leingarten, HN <br> Landshausen Wohnplatz (5514) <br> Landshausen, Kraichtal, KA <br> Neckarwestheim Wohnplatz (2114) <br> Neckarwestheim, HN <br> Odenheim Wohnplatz (5432) <br> Odenheim, Östringen, KA <br> Rettigheim Wohnplatz (6417) <br> Rettigheim, Mühlhausen, HD <br> Rom, Latium, Italien <br> Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852) <br> Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN